



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 152. Florentini a Venetis clam adjuti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. CLII.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.*Florentini a Venetis clam adjuti.*

Quamvis Veneti se ex foedere ad auxilia Florentinis mittenda adstringi negassent, eoquod, inquiebant ipsi, bellum hoc non publice, sed duntaxat privatim contra Laurentium gereretur, nihilominus aliis mediis clam Florentinis adesse non desistebant. Ludovicus autem Galliarum Rex, cujus opem Florentini ob pacta cum Regibus ejus Prædecessoribus erecta implorabant, negati subsidii causam in bellum Belgicum, quo implicitus esset, referebat, nec alia via eos adjuvabat, quam quod ad illos omnium cunctatione remota Philippum Comminæum mitteret, dato negotio, ut Sabaudiam ac Mediolanum pertransiret, ibidemque tam a Duce, quam a Ducissa subsidiarias peteret copias, nec non sua prudentia atque auctoritate pacem revocaret, animosque dissidentium reconciliaret. Valuit successus; quippe Dux Mediolanensis trecentos cataphractos Florentiam misit, totidemque Sabaudicæ Ducissa, ut autumant alii, quamvis de eo nihil Comminæus referat. Ludovicus his copiis, aliisque posthac submissis, auxiliantibus quoque Mantuæ & Ferrariæ Principibus, aliquamdiu Florentinos tuebatur.

§. CLIII.

*Commin. l. 6.
c. 5*